



# The Holy See

---

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

**RUTANA\***

IN BURUNDIA NOVA CONDITUR DIOECESIS RUTANA.

Ad aptius provehendam aeternam salutem Dominici gregis in Burundia eiusque regimini efficacius consulendum petitum est nuper ut eadem in Natione nova constitueretur dioecesis. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Pauli Richardi Gallagher, Archiepiscopi titulo Hodelmensis atque in Burundia Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A dioecesibus Bururiensi et Ruyigiensi separamus territorium civilium regionum, quae patro sermone nuncupantur Rutana, Kayogoro et Muhwea; ex eoque novam condimus dioecesim Rutanam, quam metropolitanae Ecclesiae Kitegae<sup>nsi</sup> suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe Rutana atque templum ibidem extans, Deo in honorem sancti Ioseph dicatum, ad dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Paulus Richardus Gallagher, quem diximus, quique, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizationemittenda. Hanc quidem Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo septimo mensis Ianuarii, anno Domini bis millesimo nono, Pontificatus Nostri quarto.*

THARCISIUS card. BERTONE

IVAN card. DIAS

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. CI (2009), n. 2, pp. 81-82 © Copyright 2009 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana